Luitenantio cogitur, ut omnem Archivam aperiat ex Mandato Gubernatoris, qui nihil quærebat quàm fictam epistolam apud quendam Catholicum civem deprehendere, occupatus ergo in inquisitione scripturarum; & literarum Luitenantius ille proferebat hæc verba. *Had ick een Missive, daer wou ick well duysent Gulden om geven:* Respondit Petronella talem Scripturam in ædibus meis non invenies, ex qua tantum commodi haurire possis. Ad speciem quandam veritati tribuendam suadent corrupto isti textori, ut etiam Captivitatem subeat, promittentes magna lucra, & salvam corporis liberationem, sicut ex sequenti Capitulo vobis constabit.

CAPUT IX.

Infidelis ille textor ex consilio invidorum accipit instructionem, qualiter respondere Consilio bellico debeat, & quidnam captivis imponendum foret.

EXaminatur ergo hujus infamis conceptûs instrumentum promissionibus corruptus Mathias Bernkassel ætatis viginti & unius Anni sordidus & peregrinus textor; hunc interrogat Gubernator Holtkrach hisce verbis: constat mihi quòd quidam Conjurati Papistæ intendant Serenissimum Neo-Principem veneno è medio tollere: Mathias textor nebulo respondet, *dat hy int gering st van dat Werck niet en wiste.* Post hæc interrogat Gubernator quam notitiam habeat de supplica Bruxellas ad Marchionem Spinolam missâ, & quænam contenta in tali epistolâ haberentur. Quid facit Textor à Ceporino desuper optimè informatus? videns nimirum

torto-

tortorem præſentem veniam implorat, dicens: ſe omnes hujus conſpirationis circumſtantias quamvis fictas bellico Conſilio aperire velle. Poſt veritatem horum mendaciorum revelatam conclamant omnes iſtius bellici Judicii Officiales ſe à perduelli iſto Textore deceptos fuiſſe, ſed quo mediante niſi ſanguiſugo Ceporino: Interea Ceporinus continuò caſtrum inſidet, & omnis generis praxes Textori, ut ita dicam, ſuggerit, qui Textor tam ſtupidus erat, ut, quod antea Gubernatori ſub ſpecie veri revelaverat, poſtea ne quidem ſciverit. At revertamur ad captivos in æde Paſtorali: hi taliter ab iniquis militibus cuſtodiuntur, ut omni momento iisdem liberum foret egrediendi; ſed hoc honeſti cives, & bonæ conſcientiæ teſtimonium circumferentes non intendebant, ſed per viam Juſtitiæ famam ſuam ab aliquibus centenis annis deductam funerali tumulo inferre cogitabant. Judas tamen in mente habens Dominum Salvatorem noſtrum tradere, dormientibus cæteris Apoſtolis vigilavit: Ceporinus honeſtis iſtis civibus in ſecuritate conſcientiæ requieſcentibus non dormivit; ſed omnem practicabilem malitiam in Innocentes diffudit. Interea Dominus Conſul Goſwynus Exken petit, ut militari Judicio ſiſtatur auditurus, de quibus punctis, licèt injuſtè, accuſetur, & quânam de causâ tam violenter de nocte è lecto abſtractus fuerit: tunc practicata mendacia eidem proponuntur, nimirum: Sereniſſimum Principem noſtrum veneno interficiendi, & Civitatem Hiſpano militi tradendi: hiſce calumniis Goſwynus Exken reſpondet, ſibi mirum & peregrinum videri talia mendacia fingi poſſe, addens ſe de iſtis rebus nihil ſcire, & tam innocentem eſſe quàm parvulum eâ-

dem nocte natum : quam confessionem Petronella conjux posterâ die ex revelatione cujusdam Signiferi ibidem hospitantis intelligit, quem adhuc in cubili morantem cum socero suo Heysterman invisit, quærens, quidnam captivis criminis imponeretur ? dicit Signifer : *Daer iß eenen Wever gevanghen, dy seydt eenen Brieff te hebben aen Borgemeester Goswin Exken, daer in staet, dat men den Printz vergeven sou, den Borgemeester seyt, dat hy daer van niet en weet.* Petronella Signifero respondet hisce verbis : *Dit syn immers Loogens die men met vingeren tasten sou ; want myn Vader koomt doch immers by den Printz niet, mitz hy een oudt onvermogendt Man is, ende nu nergens meer en reist.* Cui Signifer responsum tale refert. *U Vader sou dat niet doen, maer de Heer van Wissen, Hulhuysen, de Vrouw van Nieuwen Clooster, de Heeren van Xanten, als oock Principaele Geestelycken, en Adelycken souden dat doen ; u Vader sou alleen weetenschap daer van hebben.* Conceptus eorum Falsariorum erat, tales è medio tollere, quorum humeris defensio Catholicæ Religionis, & Privilegiorum incumbebat, nihil curantes, dummodo conceptum odium felicem sortiretur finem ; cogitantes, si Principales Status Ducatûs Cliviæ sortem, sive inhonestam mortem subierint, de causâ triumphatum erit : sicut & Pharisæi tam diu Christo Domino insidiati sunt usque ad enormem & inauditam Innocentis crucifixionem; sed sicut malevoli Judæi clamârunt : Sanguis ejus super nos, & filios nostros, à Tito & Vespasiano debellati, justas pœnas luere coacti fuerunt : ita & memoria sceleſtorum proditorum evanuit, sicut ex sequentibus manifestum fiet.

CA-